



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio quinta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](#)

Magistri Durandi de

tantum est unus Deus, non sequitur absolute, quia plus negatur in consequente quam in antecedente. In antecedente enim solum negatur unitas in persona propter rationem dictam, sed in consequente si absolute capiatur negatur omnis unitas tam in essentia, quam in persona. Si autem inferretur cum determinatione, bene sequeretur dicendo sic, Deus genuit Deum qui non est Deus pater, ergo non est tantum unus Deus personaliter, quod utrum verum est.

Sententia quinta distinctionis in generali & speciali.

Post haec queritur. Superrus Magister mouit questionem de nominibus essentialibus concretis, hic mouet questionem de nominibus significantibus essentiam in abstracto: utrum aliquid eorum se posse habere ad generationem ut subiectum vel terminus. Et circa hoc tria facit. Primo mouet questionem. Secundo determinat eam. Tertio determinationem confirmat. Secunda ibi, ad quod autem catholicus. Tertia ibi, ideo non est dicendum. Hac ultima diuiditur in duas partes. Primo enim ostendit quod diuina essentia non se habet ad generationem ut terminus ut dicatur generata. Secundo ostendit quod nec se habet ad ipsam ut principium ut dicatur generans. Secunda ibi, itaque etiam non est dicendum. Prima istarum diuiditur in duas partes. Primo probat intentum triplici ratione. Secundo obicit in contrarium. Secunda ibi, huic autem videtur contrarium esse. Secunda pars in qua ostendit quod essentia non dicitur generans diuiditur in duas partes. Primo enim ostendit quod nec essentia generat essentiam, nec essentia generat filium, secundo obicit contra utrumque. Secunda pars ibi, praedictis autem videtur contrarium. Et haec secunda diuiditur in duas. Primo obicit per autoritatem Augusti & Hilarii quod essentia generat essentiam & soluit utrumque. Secundo obicit quod essentia generat filium & soluit. Secunda ibi, videtur quo & frequenter & haec est sententia & diuisio in generali.

² In speciali vero sic procedit Magister. Et querit primo utrum concedendū sit quod pater genuerit diuinam essentiam, & utrum diuina essentia genuit filium, & utrum essentia genuit essentiam, & utrum essentia possit dici quod nec generat nec sit generata, nec procedat. Postea responderet Magister & dicit quod nec pater genuit essentiam, nec essentia filium, nec essentia genuit essentiam. Postea probat primum horum, scilicet quod pater non genuit diuinam essentiam. Et hoc triplici ratione. Prima talis est. Omne illud quod generatur relatiue dicitur ad aliud & ex duero. Sed si diuina essentia generatur diceretur relatiue, quod falsum est quia non significaret substantiam. Secunda talis est, pater est diuina essentia. Si ergo pater generet diuinam essentiam, ergo genuit & illud quod ipse est, quod esse non potest. Tertia ratio talis est, pater per diuinam essentiam potest esse. Si ergo pater genuit essentiam, tunc pater haberet esse per id quod est generatum ab ipso, quod falso est, quia generatum a generante habet esse non generans a generato. Addit Magister quod similiter probat Augustinus quod pater non est sapiens sapientia generata. Si enim est sapiens per illam sapientiam generata, cum sit idem sapere & esse, ergo haberet esse per illud quod est ab eo, quod falso est. Obicit contra istam solutionem ostendendo quod genuit quod est ipse, & ita genuit essentiam & soluit exponendo genuit illud quod est ipse, id est, genuit filium qui est idem cum ipso. Postea ipse determinat questiones alias & dicit quod non est concedendum quod diuina essentia genuit filium, quia cum filius sit idem cum essentia diuina sequeretur quod id generaret seipsum, & eadem ratione determinat quod diuina essentia non generat diuinam essentiam. Postea obicit in contrarium, probando per multas autoritates Augustini quod essentia filii est de essentia patris, & sapientia de sapientia, & diuinitas de diuinitate. Et respondet quod cum dicitur sapientia de sapientia, sensus est, filius qui est sapientia est de patre qui est sapientia, & similiiter exponenda sunt alia. Obicit autem ad hoc per autoritates Hilarii ostendendo quod natura filii est nata de parte, & soluit quod natura est nata, id est, nascendo accepta, vel filius qui est eiusdem naturae cum patre est natus a parte. Ultimum obicit quod diuina essentia generat filium,

Sancto Porciano

ostendendo per multas autoritates quod pater genuit filium de sua substantia. Item ostendendo quod filius est eiusdem naturae cum patre, & respondet Magister, quod autoritates iste sunt exponenda, sensus enim est quod pater genuit filium de sua substantia, id est, genuit non de nihilo, sed genuit talis qui est eiusdem naturae cum illo. Hanc expositionem confirmat per multas autoritates. Addit etiam quod filius ideo dicitur filius naturae non per adoptionem habens naturam eandem cum patre. Et in hoc terminatur sententia in speciali.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum essentia generet aut generetur.

Circa distinctionem istam consuevit quereri. Vtrum essentia generet, aut generetur. Et vtrum filius possit dici esse de substantia patris, aut de nihilo. Quantum ad primum videtur quod essentia generet, quia sicut se habet essentia ad personam, ita persona ad essentiam, sed attributum essentiae praedicantur de persona ut creare & huiusmodi, dicimus enim pater creat, ergo actus persona possunt attribui essentiae, dicendo quod essentia generat.

³ Item maior est oppositio affirmationis & negationis quam relationis, sed oppositio relativa causat indistinctionem personarum, ergo multo fortius hoc facit oppositio contradictionis. Si ergo persona generet & essentia non generet, essentia & persona differentia personaliter, quod est falsum.

³ IN CONTRARIUM arguitur, quia omne quod generat distinguitur a genito, sed essentia a nullo distinguitur in diuinis, ergo essentia non generat.

⁴ RESPONSI^O, actus generandi potest attribui dupliciter aliquo modo tanquam ei quod generat, & hoc est suppositum, actiones enim sunt suppositorum ut eorum quae agunt. Alio modo tanquam principio quo generat, sicut calefacere attribuitur igni ut ei quod agit, & calor ut principio quo ignis calefacit.

⁵ Si primo modo intelligitur quod utrum essentia diuina sit illud quod generat sicut videtur intelligi, quia hunc sensum immediatè praetendunt termini questionis, sic non video quod habeat difficultatem secundum ea quae dicta sunt in praecedenti questione, quia generatio nulli competit tanquam ei quod generat nisi supposito, sed essentia diuina, vel diuinitas quod idem est, non includit aliquo modo suppositum ut prius dictum est, ergo nullo modo essentia diuina est id quod generat.

⁶ Quantum autem ad eos qui dicunt quod persona & essentia nullo modo realiter differunt seu ex natura rei, sed solum secundum rationem, difficultatem habet, quia sola differentia rationis non potest facere differentiam nisi respectu predicationis rationis, non rei, sed generare non est predicatum rationis, sed rei (aliоquin generatio non esset realiter in diuinis) ergo differentia personae & essentiae si sit solum secundum rationem non potest esse sufficiens causa quare generare competat personae & non competat eodem modo essentiae.

⁷ Et ideo tenentes hanc viam addunt tanquam à veritate coacti quod quādum aliqua sunt idem re nec vnum importat aliam rem quam alterum, nec distinctionem ab alia re à qua non importat distinctionem alterū, tunc est verum quod quicquid dicitur de uno, dicitur de altero si sit predicatum reale. Nunc est ita quādum licet pater & essentia diuina sint penitus idem re, tamen pater distinguuntur realiter ab aliquo à quo non distinguitur essentia, scilicet a filio, propter quod non oportet quod quicquid realiter dicitur de patre praescire quod ad distinctionem pertinet, ut est generare, quod hoc conueniat essentiae diuinae.

⁸ Sed istud non valet, quia aquae difficile est quod nō assumitur sicut illud quod defenditur, aquae difficile vel impossibile est quando aliqua sunt penitus idem re, quod vnum realiter differat ab aliquo à quo non differt realiter alterum, sicut quod aliquod predicatum realē dicitur de uno quod non dicitur de alio. Si enim illa quae sunt vnum & idem in tertio sunt necessario vnum & idem inter se, illo modo: fortiori ratione quae sunt omni modo vnum.

Lib. I. Distinctio V.

& idem generaliter inter se sunt omni modo & idem respectu cuiuscunq; tertii, sive quo ad conuenientiam & affirmando, sive quo ad differentiam & negando. Et ideo semper remaneat, quo ad istos difficultas. Et quasi impossibilitas respondendi quo modo si pater & essentia sunt idem penitus re aliud realiter conuenit patri quod non conuenit essentie, ut generare, aut quomodo distinguuntur pater rea liter a filio a quo realiter non distinguuntur essentia.

Ponentibus autem quod persona ratione relationis ipsam constitutae differt realiter aliquo modo vel ex natura rei ab essentia nihil horum occurrit.

Si autem quæstio intelligatur secundo modo, scilicet utrum generare competit essentiae diuinæ tanquam principio quo ita quod sit illud quo pater generat, sic quæstio ista est eadem cum illa qua queritur utrum potentia generandi dicat substantiam an relationem.

Et quia de hoc diceretur infra dist. 7. ideo ad præsens superfedatur. Simili modo dicendum est de hac quæstione utrum essentia generetur, quia sicut in generante est considerare duo, scilicet illud quod agit, & principiū quo agit, sic in genito est considerare duo, scilicet illud quod terminat generationem, & illud quo formaliter terminat eam, & hæc sibi inuicem correspondunt, quia sicut id quod generat est suppositum cuius est agere, quo autem generat est aliud existens in supposito, sic illud quod generatur per se, est suppositum cuius est esse, quo autem formaliter terminatur generatio est aliud in supposito genito & non suppositum secundum se totum. Ex quo patet quod sicut essentia non est illud quod generat, sic nec illud quod generatur & per eandem rationem. Utrum autem essentia sit illud quo formaliter generatio terminatur, eadem difficultas est cum illa utrum essentia sit principium quo pater generat, quia principium & terminus generationis videntur sibi inuicem proportionabilitatem correspondere. Sicut enim ignis calefactio calore ut principio quo agit, ita calefactionem calefactionem calore recepto, non eodem secundum numerum, sed secundum speciem. Et ideo si essentia est principium quo pater generat, erit etiam terminus quo filius generationem terminat, si vero non, non. Primum autem declarabitur infra dist. 7. ut dictum est, quo declarato erit declaratum quod nunc queritur, ideo nunc dimittitur.

AD PRIMVM argumentum dicendum quod maior est falsa, quia aliter se habet persona ad essentiam, & aliter essentia ad personam. Persona enim includit essentiam & ob hoc omnia attributa essentiae conuenient persona, nisi repugnat proprietati per quam persona formaliter constituitur ut sunt esse indistinctum, esse communicable, & huiusmodi, sed essentia in suo signo vel nomine nullo modo includit personam, propter quod attributa persona que conuenient ei secundum illud quod est formaliter persona nullo modo conuenient essentia, vt generate, spirare & similia.

AD SECUNDVM dicendum quod oppositio affirmationis & negationis est maxima secundum continentiam variuerfaltatis, quia in omnibus oppositionibus includitur, quodlibet enim oppositum includit negationem sui oppositi, sed non est maxima quantitas ad suum fundamentum, cum quandoque fundetur super solam differentiationem rationis, & ubi fundatur super realem differentiationem sufficit propter ipsum oppositionis latitudinem quas lificunt realis differentia, quia unum non sit aliud, sed relativum oppositio realis si sit oppositio originis ex necessitate requirit realem diversitatem quia realis est, & diversitatem suppositorum quia est relatio originis. Origines enim actus & passus accepte respiciunt realiter opposita.

QVAESTIO SECUNDA.

Vtrum filius sit de substantia patris.

Tho. I. p. q. 41. ar. 6.

Secundo queritur utrum filius sit de substantia patris. Et videtur quod non, quia de, dicit habitudinem materiæ vel quasi materiæ, sed substantiam vel essentiam diuinam non est materia, vel quasi materia generationis filii. Ergo filius non est nec generatur de substantia patris. Maior

& Quæstio. II.

patet, sed minor probatur multipliciter. Primo sic. Illud quod est materia vel quasi materia in generatione est subiectum formæ communicata genito a generante, sed essentia vel substantia non est subiectum alterius formæ communicata filio a patre, nihil enim communicat pater filio per generationem nisi substantiam suam quae non subiectur sibi, ergo essentia diuina non est subiectum in generatione.

Item subiectum in generatione dici potest fieri hoc vel tale sicut in alteratione quæ est generatio secundum quid, ut cum aqua caelestis aqua potest dici fieri calida, licet non possit dici fieri absolute & simpliciter. Similiter in generatione simpliciter materia potest dici, fieri formata, licet non possit dici fieri simpliciter & absolute, sed in generatione diuina essentia non potest dici fieri esse cum quacunque additione secundum quodcumque adueniens absolute, vel relatum, non absolutum, quia nullum tale est in diuinis aduenientis essentie, nec relatum: quia essentia non dicitur fieri relata, ergo essentia nullo modo est subiectum in generatione diuina.

Item quod principium producens requirit materiam, vel quasi materiam, hoc est ex imperfectione eius, sed pater generans filium est perfectissimum agens. ergo materia non requirit aliud quod sit materia, vel quasi.

IN CONTRARIUM arguitur, quia aut filius generatur de aliquo aut de nullo, non de nullo, quia si sic crearetur, ergo de aliquo, sed non esset verus Deus, ergo de substantia propria.

Item quando aliud est de alio, & est ei consubstantiale, potest dici esse de eius substantia, sed filius est a patre & est ei consubstantialis, ergo est de eiusdem substantia.

RESPONSO, in modo loquendi sic consuevit dicere quod esse de aliquo est esse de aliquo præexistente & permanente in re facta. Vnde cum in creaturis nihil præexistens maneat in re facta, nisi materia, in eis nihil proprium dicitur esse de aliquo nisi materialiter accipiendo, sicut dicimus cultellum esse vel fieri de ferro & sic de similibus, propter quod in diuinis id quod habet rationem materia vel quasi materia est illud de quo est generatione & res generata.

Sed aduertendum est quod cum generatione non sit vniuerso in diuinis & in creaturis non est querenda una uocatio totalis hic & ibi quantum ad illud de quo est generatione, & etiam quantum ad alia quæ sunt in generatione, sed sufficit inuenire similitudinem competenter quam tamen ad ea quæ imperfectionem non includunt.

Et secundum hoc potest dici quod filius generatur, & est de substantia patris, ita quod illa prepositio de dicta circumstantia materiæ vel quasi materiæ, quod patet primo sic. Illud quod secundum nostrum modum intelligenda præexistit filio producendo & inexsistit iam producto, se habet ad filium ut de quo iam filius est, hoc patet ex præcedentibus. Et hæc est conditio materiæ que non pertinet ad aliquam imperfectionem, sed substantia patris secundum nostrum intelligendi præexistit filio generando & inexsistit filio genito, ergo &c.

Secundo sic, quandoconque aliud constitutur ex pluribus, oportet quod unum illorum se habeat secundum rationem materiæ & perfectibiliter, & alterum secundum rationem quam actus perficiens, sed filius constitutus ex essentia & proprietate relativa, ergo oportet quod alterum istorum se habeat quasi in ratione materiæ, & alterum quasi in ratione actus, inter haec autem essentia magis videatur se habere in ratione materiæ quam relatio, quia intelligitur quasi substare relationi & non econuerso, quod autem habet rationem materiæ, est illud de quo est generatio, quare, &c.

Tertio sic, illud est subiectum vel quasi subiectum in generatione, quod recipit formam geniti, sed essentia diuina recipit in se formam per quam constitutus genitus, scilicet proprietatem relatiuam, ergo ipsa est quasi subiectum & materia de qua est generatio.

Sunt autem aliqua conditiones materiæ quæ nullo modo conuenient diuinæ essentiae, nec sunt in generatione diuina querenda, quia pertinent ad imperfectionem quæ omnino relegatur à diuinis sicut & ipsa est pura potestitia.

Magistri Durandi de

tentia & sic actu per aliquam formam absolutam sibi advenientem. Item quod transmutatur de priuatione in formam, & quod acquirendo vna cum formam amittit aliam & hanc modi.

12. Ad primum argumentum dicendum quod ad rationem materie vel quasi materie in generatione sufficit quod aliquo modo substeret forma geniti, siue illa forma sit communis genito & generanti, communitate rei, vel rationis specifica sive non, modo in generatione filii, licet pater non communicet filio formam sibi & filio communem nisi essentiam a patre, tamen est in filio, non est solum essentia, sed relatio cui tanquam forma, large loquendo de forma, aliquo modo substarat essentia.

13. Ad secundum dicendum quod subiectum generationis, dicitur fieri hoc vel tale ubi terminus sub quo fit subiectum est aliquid ab solutum sic, aut non est in diuini.

14. Ad tertium dicendum quod imperfectionis est in agente quod requirat materiam extra se, sed quod agens in se aliquid habeat quod alteri communiceat, & nihilominus teneat aliquid rationem materie non est imperfectionis, sed perfectionis, & sic pater communicare filio essentiam suam que aliquo modo in generatione haberet locum materie.

15. Argumenta alterius partis concedantur ratione conclusionis, propter tamen primum aduertendum est, quod nullo modo est dicendum quod filius sit de nihilo, quia esse de nihilo est non habere in se aliquid quod non sit ab alio productum: ita quod sibi derelictus cederet in nihil. In filio autem est essentia diuina que non ab alio producita, filius etiam nullo modo potest non esse, sed necessario est. Et ideo ei non competit esse de nihilo, sed est de substantia patris modo quo dictum est.

Sententia distinctionis sextae in generali & specifica.

Praeterea queri solet, &c. Superioris Magister mouit questiones circa generationis subiectum vel terminum. Hic mouerat quandam questionem circa generationis modum. Et diuiditur ista pars in tres. Primo mouet questionem & determinat eam. Secundo remouet quandam obiectiōnem. Tertio exponit predictam determinationem. Secunda incipit ibi: Contra hoc opponitur. Tertia ibi: Prædicta tamen vera. Prima diuiditur in tres partes. Primo mouet questionem. Secundo eam determinat. Tertio ex terminatione quandam errorem excludit. Secunda ibi: nec voluntate nec necessitate. Tertia ibi: quod contra ait August. Hęc est sententia Magistri in generali. An speciali verò sic procedit Magister & querit primo utrum pater genuit filium necessitate, vel voluntate. Et responderet quod nec voluntate, nec necessitate. Necessestas non, quia necessitas non est in Deo, nec voluntate, quia sic voluntas præcederet sapientiam, id est, filium qui est sapientia, generans enim præcedit genitum. Deinde errorem Eunomii excludit dicens quod in aliis dixit Eunomius qui attribuit dialecticis deceptum ponit filium esse genitum voluntate intelligens, & male, voluntatem generandi filium patri accessisse de nouo, quod esse non potest. Seque returnum Deum esse immutabilem. Conformat autem hoc quia argumentum hereticorum non est efficax. Opponit enim hereticus, pater aut volens aut nolens genuit filium. Si nolens ergo miser est. Si volens ergo voluntate genuit filium. Et dicit Magister quod hoc non cogit, quia sic potest opponi pater aut volens aut nolens est Deus. Si nolens miser est, si volens ergo voluntate est Deus, non natura quod fallum est. Vnde concludit quod pater nec nolens nec volens genuit filium. Postea quandam obiectiōnem remouet. Obiectio talis est, cum in diuini idem sit natura & voluntas. Si pater genuit natura filium, ergo & voluntate. Et responderet dices quod licet in diuini natura & voluntas sint idem in re in Deo, differunt tamen ratione, vel connotato. Vnde sicut scientia Dei se extendit respectu malorum, voluntas autem non, & tamen scientia & voluntas in Deo sunt idem, ita etiam aliquid conuenit naturae Dei quod non conuenit voluntati, licet sine idem in Deo. Ultimo dicit quod pater genuit filium voluntate communicante generationem non præcedente vel antecedente de nouo. Et in hoc terminatur sententia distinctionis in speciali.

Sancto Porciano

Q V A E S T I O P R I M A .

Vtrum pater generet filium necessitate
Tb. 1. p. q. 41. a. 1. ad quintum.

C irca distinctionem istam quæuntur duo. Primum est utrum pater generet filium necessitate an voluntate. Secundum est utrum generet filium natura. Ad primum sic proceditur. Et arguitur quod pater non generet filium necessitate, quia quod gratis datum non datur ex necessitate, sed secundum Ric. de trin. pater quicquid dat filio vel spiriti. San. dat secundum auctorem gratutum, ergo non necessario, sed per generationem pater dat filio quicquid filius habet, ergo pater non necessario generat.

2. Item Aug. ad Orofum nec necessitate, nec voluntate pater generet filium. Et Hila. li. de syno. dicit quod non naturali necessitate ductus pater generet filium.

3. IN CONTRARIUM arguitur quia si pater non necessario generet, potuit non generare & per consequens filius potuit non esse. Hoc autem est impossibile, ergo & primum consequentia patet quia non necesse & possibile non aequivalent.

4. RESPONSO, necessarium dicitur multipliciter. Est enim necessitas violentia & coactionis, vt cum lapidis proicitur sursum necessitatibus ad ascensum. Alia est ne cessitas expedita ex suppositione finis sicut volenti ire via mare necesse est habere naudem. Et his duobus modis sumitur necessaria ex causis extrinsecis que sunt agès & finis. Est tercia necessitas, scilicet immutabilitatis que sumitur ex causis intrinsecis, vel ex aliquo quod est de essentia rei, sicut necessitas hominum esse rationalem ratione formæ, vel corruptibilem ratione materie. Principia autem intrinsecata, ad quas sequitur talis necessitas quandoque sunt causatae alicuius ab alio sicut est in omnibus circa Deum. Et ideo sicut in eius principia rei dependet ab alio, ita & necessitas consequens principia, propter quod in his non est necessitas secundum portiunculam gradum necessitatis. In Deo autem nihil est quod ab alio dependeat. Et ideo necessitas immutabilitatis que in Deo est, summa est per prima necessitas.

5. Dicendum ergo cum queratur utrum pater generet filium ex necessitate, quod si loquamus de prima necessitate que est coactionis quod talis nullo modo cadit in Deo. Quod pater duplicit. Primo quia necessitas coactionis est a potentiore, sed Deo nihil est potentius, ergo &c. Secundo quia necessitas talis non est in cognoscibilius sine tristitia, v. meta, sed tristitia non cadit in Deo, ergo nec talis necessitas.

6. Si autem loquamur de necessitate secundo modo dicta que est necessitas expedita ex suppositione finis, sic dicendum quod talis necessitas non est in Deo quoad actus interiores qui non transeunt in creaturam, potest tamen in Deo esse quoad actus qui in creaturam transeunt. Primum patet sic. Si actus manentes in Deo sive essentiales, sive notionales fierent ex suppositione alii cuius finis aut ille finis esset in diuini, aut in creaturam. Sed neutrum horum potest esse, ergo, &c. probatur minor quia finis posterior est his que sunt ad finem, sed nihil quod sit in creaturis potest esse potius his que sunt in diuini, immo nec quicquid bonum in diuini etiam non est gradus bonitatis ut unum sit potius altero, ergo nihil est in diuini, nec in creaturis ad quod potius altero, ergo nihil est in diuini ordinatur actus diuini intra manentes. Cum ergo generatio filii sit actus manens in diuini, pater quod pater non genuit, necessitate que est ex suppositione finis.

7. Secundum sic patet, quia hinc Deus & ea que in Deo sunt non ordinatur ad aliud tanquam ad finem, tamen actus diuini transeunt in materiam exteriorem & res per eos producta habent inter se ordinem finis & eorum quae sunt ad finem, propter quod inter haec inveniuntur dicta necessitas, vt si dicamus quod si Deus velit producere creaturam capacem beatitudinis necesse est quod producat eam intellectualem. Talis enim finis nulla modo potest haberi nisi a creatura habente ratione formam. Et ideo in istis inveniuntur necessitas suppositionis.

8. Loquendo autem de necessitate tertio modo dicta que est necessitas immutabilitatis, dicendum quod pater summa necessitate genuit filium, quod pater, quia producit

qua